



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Venusinæ, postea Æsinatis, ac demùm
Parmensis Ecclesiæ Vicarii Generalis, &c. Formularium
legale practicum Fori Ecclesiastici**

in quo formulæ expeditionum usufrequentium de his, quae pertinent ... ;
cum appendice plurium constitutionum apostolicarum

Formularii Legalis Practici Fori Ecclesiastici Supplementum - In Quo Non
Solum Omnes Feré Formulæ, quæ in præcedentibus tribus Libris
continentur, novis quamplurimis adnotationibus Legalibus Practicis, ac
Sacrarum Congregationum Responsis roborantur; verùm etiam nonnullæ
aliæ, quæ ad Operis ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1732

Decreti approbationis Oratorii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62442)

licet. Si Oratorium privatum reperitur concessum in Domo habitationis Civitatis, vel Castri, ubi adsint Ecclesiae publicae, tunc famuli, & famulae actu tempore celebrationis Missae non necessarii servitio Domini, nullo modo debent excusari ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecipuo, si vero sit concessum in Domo Rurali, tunc erunt excusandi, quando Ecclesia distet ultra medium milliare; Nam tunc propter talem distantiam, & longam moram accessus, & recessus, ne servitium Domini patiat, omnes dicerentur actus necessarii, & privilegio gauderent, sicuti enim Regulares, qui praecipuo *Concilii Trid.* tenentur accedere ad publicas Processiones, cogi non debent (nisi adsit consuetudo contraria) quando eorum Monasteria distant ultra medium milliare à Civitate, ex quo nimis gravarentur, *Laurent. de Franch. par. 1. num. 64. ibique Pasqual. Piafec. in prax. par. 2. cap. 3. art. 6. num. 51.* ubi refert Decretum Gregor. XIII. & de quo testatur *Fagnan. in cap. grave, num. 65. de Offic. Ordin. Passerin. de Stat. hom. tom. 3. quest. 189. art. 10. insp. 10. num. 1000.* ita à pari gravandi non erunt famuli Domini privilegiati, ut accedant ad Ecclesiam, eo modo distantem, ne servitium Domini damnum sentiat, & idem procederet tempore magnae pluviae, vel hyemis, quo accessus ad Ecclesiam esset difficilis, propter asperitatem viae, quamquam esset vicinior, nam tunc militat eadem ratio.

Septimò si dubitetur de intelligentia illius clausulae: *Et Hospitum tuorum Nobilium praesentia*: nempe qui veniant nomine *Hospitum Nobilium*? Responde, quod veniunt, tam genere Nobiles, quam ex privilegio Principis Statuti, muneris, aut Dignitatis: quia cum Papa in hac clausula non requirat Nobilitatem generis, & Sanguinis, prout necessario illam exigit in prima clausula, superius primo loco examinata, sed Nobilitatem Hospitum in genere, sub dicto nomine *Nobilium* veniunt etiam Nobiles civiliter, & ex privilegio facti, quia dicuntur veram, & propriam nobilitatem habere, ut firmat pluribus allegatis *Cyriac.*

controv. 208. num. 201. & ideo gaudent Indulto.

Octavò tamen scire debent, quod hodie dictum Indultum concedi solet Ducibus, Comitibus, Marchionibus, & aliis magnatibus primi Ordinis, qui exercent Jurisdictionem temporalem in aliquo feudo, vel Castro, aut alio loco etiam pro Domo habitationis Civitatis: aliis vero Nobilibus, qui Jurisdictionem non habent, concedi consuevit pro Domo Rurali tantum. At sive primis, sive secundis concedatur, expirat morte impetrantis, quia est personale, nec transit ad filios, nec alios de familia, nisi de novo impetretur, *Pignatell. d. consult. 98. num. 50. & seqq. tom. 6.*

FORMULA

Decreti approbationis Oratorii.

VISO Brevi Apostolico Anulo Piscatoris subsignato, nobis pro parte Nobilis Viri N. exhibito, & in actis nostrae Curiae registrato, super concessione Oratorii privati in Domo suae habitationis Ruri, vocabulo N. existent. & à nobis approbandi verificatis verificandis visa loci decentia in visitatione per Nos personaliter facta, in quo existit Capella, cum Altari, muro à tribus lateribus clausa, & ornata, ac à domesticis usibus penitus sejuncta, & de decentibus supellectilibus sacris instructa, ibidem Oratorium sic erectum autoritate Apostolica nobis delegata approbamus, & ut in eo una Missa pro unoquoque die, praeterquam in solemnioribus anni Festis in Indulto exceptis, & sine praesudicio iurium Parochialium, per quemcumque Sacerdotem Saecularem, vel Regularem approbatum celebretur, & celebrari possit, permittimus, & licentiam ad arbitrium nostrum curaturam, concedimus. Admonentes, ut Oratorium, seu Cappella praedicta remaneat semper clausa, nec valvae aperiantur nisi tempore celebrationis Missae, vel communium precum. Famulos autem, & Famulas d. Domini privilegiati, Mis-

Missæ hujusmodi interessentes, nisi tempore celebrationis sint actu servitio Domini necessarii, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de Præcepto, non esse liberos declaramus ad formam Brevis. Dat. &c.

N. Episcopus Executor Apostolicus.

N. Cancellarius.

494 Hæc approbatio, seu licentia unâ cum copia Brevis debet registrari in Cancellaria, ne unquam de ea dubitari contingat. Breve autem hujusmodi non solum exequitur ab Episcopo, sed ab omni alio Prælato, sive Vicario Capituli, Sede vacante, & exercenti ordinariam jurisdictionem, quia committitur exequutio Ordinario loci, cujus appellatione veniunt omnes Prælati habentes jurisdictionem ordinariam, Barbos. appellat. 177. num. 1. & 2.

496 Num. 20. Adde ibi, quod licentia, quæ datur Novitiis Monialium, faciendi renunciaciones, conceditur ab Episcopo etiam pro Monasteriis Regularibus subiectis, aut alio modo exemptis, non autem à Prælatis, quibus sub sunt, nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, Laurent. de Franch. contr. par. 2. quest. 43. num. 1. ibique Pasqual. num. 2. Donat. de Regularibus, tom. 2. par. 2. tract. 7. de bon. novit. quest. 7. n. Sac. Cong. Concil. in Firmana 23. Julii 1707. Barbos. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 249. & 250. Dommodò fiat post ingressum Monasterii: aliàs enim si renunciatio fieret ante ingressum licet intuitu Religionis, & animo ingrediendi, non subjacet dispositioni Concilii, sed valet absque dicta solemnitate, ut ibi firmatum fuit, Tamb. de jure Abbatis, tom. 3. discept. 6. quest. 10. num. 10. ubi dat concordantes.

498 Num. 21. Inquirat Visitator Apostolicus in visitatione Regularium an tempore divinorum officiorum admittant in Presbyterio Laicos, seu Magistratum Laicorum, eisque ibidem Sedem, seu sedilia habere permittant, si hoc enim eos talia Laicis concedere inveniat, omnino prohibeat, quia decreta Sac. Congreg. Rituum, quæ ab Ecclesiis Sæcularibus abusu Monacelli, Formul. Suppl.

sus hujusmodi removendos esse præcipiunt, locum habent etiam in Ecclesiis Regularium, ut patet ex sequenti autographo Decreto.

Gerunden.

Cum aliàs à Sac. Congreg. Concilii emanaverit decretum sub die 10. Novembris 1657. in quo declaratum fuit, non licere Ecclesia Collegiata S. Felicis condere locum in Presbyterio Officialibus Laicis, juratis, seu Magistratui Gerunden. ad effectum ibi standi, & sedendi quando divina officia celebrantur, & successive confirmatum sub die 31. Augusti 1658. ac sub die 28. Augusti 1660. resolutum, non licere etiam in Ecclesiis Regularium, nec non Sac. Rituum congreg. die 12. Martii 1689. præmissa approbaverit. Instantibus modo Regularibus ejusdem Civitatis Gerund. in hac Sac. Congreg. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet, An prædicta decreta locum habeant in Ecclesiis Regularium, & quatenus sic. An sint concedenda Remissoriales in casu, &c. Eadem Sac. Congregat. Rituum audito pariter Episcopo, & Capitulo Ecclesie Cathedralis Gerunden. utraque parte, tam in scriptis, quam in voce informante, ac omnibus hinc inde perpensis, ac mature consideratis, proponente Emin. & Reverendissimo Dom. Cardinali Coloredo, respondit. Ad primum affirmative. Ad secundum negativè, & ita omnino servari mandavit die 22. Aprilis 1690.

A. Episcop. Ostien. Card. Cibo.

Laurent. Fliscus Sac. Cong. Rit. Sect.

Item inquirat an fiant Compatres occasione Baptismi, & decreto prohibeat: nam Sacra Congreg. Concilii in Mediolanen. 3. Octobris 1677. injunxit Archiepiscopo, ut prohiberet Parochis, ne admitterent Regulares in Compatres occasione Baptismi sub pœnis ejus arbitrio.

H 3 Eod.